

1234, setembre, l

*Sentència de Ramon de Batet, jutge ordinari de Besalú per l'ardiaca de Rabós, en causa entre Arnau de Vilademany i Jusiana, sobre el castell de Toralles i la possessió de Setcases.*

ASD núm. 108, perg. orig., 395 x 220 mm. Còpia: *Llibre de capbrevacions de Setcases...*, ff. 36-37v.

Cum questio agitaretur inter Arnallum de Uillademagno ex una parte et dominam Iusianam ex altera, proposuit Arnallus de Uillademagno quod sententia fuit lata a Berengario de Albuciano iudice ordinario inter dominam Iusianam ex una parte et Raimundam de Montecluso ex alia, Guilielmo Umberto eius marito existente procuratore in dicta causa, in qua sententia tres partes castri de Toraliis cum suis pertinenciis et tres partes honoris de Septemcasis eidem Raimunde et eius procuratori pro ea fuerunt adiudicate, et in dictis tribus partibus domina Iusiana fuit condempnata. Unde cum Guilielmus de Montecluso sit heres dicte Raimunde matris sue ex testamento, et Arnallus de Uillademagno habeat locum et ius ipsius Guilielmi ex cessione ab eo sibi facta de dictis omnibus, petit dictus Arnallus a domina Iusiana ex re iudicata predictas tres partes supradictorum omnium cum fructibus perceptis et qui percipi potuerint, a tempore late sentencie sibi restitui. Quibus ómnibus domina Iusiana respondit quod Arnallus de Uillademagno non habebat locum Guilielmi de Montecluso in hiis que petita erant in libello; item negavit sententiam esse latam inter ipsam et Guilielmum Umberto procuratorem Raimunde uxoris sue. Unde iudex interlocutus fuit quod Arnallus de Uillademagno probaret quod asserebat, qui incontinenti tria instrumenta in iure ostendit, scilicet unum iudicium in quo continebatur quod in omnibus predictis domina Iusiana iam fuerat condempnata et unum instrumentum cessionis a Guilielmo de Montecluso Arnallo de Uillademagno facte et unum testamentum a domina Raimunda de Montecluso factum de quibus domina Iusiana petiit exemplar, et habuit incontinenti. Et in alia die partibus assignata petiit instanter Arnallus de Uillademagno quod ab utraque parte iuraretur de calumpnia, et domina Iusiana noluit iurare de calumpnia, dicens quod iniunctum erat ei in penitencia quod non iuraret, et super hoc uolebat habere consilium cum sapientibus. Ad quod respondit altera pars dicens quod iam potuit deliberare, quia in alia die dictum fuit ei, cum lis fuit contestata, quod oportebat ipsam iurare de calumpnia; preterea uideretur contra fidem quod quis allegaret in causa quod non iuraret, ex quo indicatum esset ei quod iuraret, et iudex interloquendo dixit quod iuraret de calumpnia non obstante illo quod propositum erat, et noluit iurare. Item alia dies peremptoria fuit ei assignata, ad quam diem in iure comparuit, allegando similiter quod non tenebatur iurare. nec in causa procedere, quia festum beati Bartolomei erat, quibus altera pars respondit dicens quod consuetudo generalis erat, quod ex quo partes erant presentes et representauerant se coram iudice et curia, quod tenebantur in iure respondere, et maxime cum ante diem sciebat festum et curie nec aduersae parti non demandauerat, et ita a iudice iudicatum fuit quod responderet domina Iusiana ex quo

presens erat non obstante illa excepcione et rationibus prius allegatis, et sic perseuerante in contumacia in causa noluit procedere. Item assignata fuit alia dies ultra peremptoriam ad maliciam superandam, ad quam diem partes personaliter interfuerunt et domina Iusiana de calumpnia iurare noluit; tandem, sepe et sepius comonita iuravit de calumpnia, et altera pars incontinenti posuit quod sententia fuit lata inter dominam Iusianam ex una parte et Raimundam de Montecluso ex altera, Guilielmo Umberto eius marito existente procuratore super honore de quo contenditur, et iudex interloquendo dixit quod responderet domina Iusiana proposita positioni, et ipsa proposuit quod deliberaret utrum sententia predicta fuerat lata necne, et quare in ipsa positione nec in aliis responderet illa die nec aliquo modo in causa procedere et super hoc petebat aliam diem sibi assignari. Sed Arnallus de Uillademagno instanter petebat quod sententiaretur contra ipsam in omnibus que petita erant in libello quia ius est expressum, quia ex quo iuratum est de calumpnia et altera parcium interrogata per iudicem non uult respondere, quod debet condempnari, ita in prima die, cum iurare de calumpnia noluit, incontinenti condempnari debuit secundum quod in iure aperte continetur, et ita in qualibet predictarum dierum domina Iusiana in causa condempnacionis fuit posita cum presens fuit et in dicta causa procedere noluit, quia presencia pro contumacia habetur cum non uult respondere. Item petebat et alia ratione quod procederetur in causa, quia iam constabat iudici de processu tocius cause, scilicet per iudicium a Berengario de Albuciano iudice ordinario datum super omnibus que in hac causa petita fuerunt, exceptis fructibus. Item per cessionem loci a Guilielmo de Montecluso sibi esse factam. Item per testamentum a domina Raimunda de Montecluso factum, in quo continebatur quod filium suum de orñ.nibus predictis plenarie hereditauerat, et ita constat iudici plenarie de uera contumacia et de processu tocius cause per dicta instrumenta et per iudicium diligenter inspectum. Unde ego Raimundus de Bateto iudex in comitatu Bisillduni pro domino archidiacono de Rogacionibus, auditis et intellectis rationibus utriusque partis, habito eciam prudentum consilio, cum multociens comonueram dominam Iusianam quod in causa procederet et facere non curauit et ita contumaciis predictis et aliis quamplurimis que in actis continentur; iudicaui tres partes castri de Toraliis cum omnibus suis pertinenciis et tres partes honoris de Septemcasis Arnallo de Uillademagno et suis, et dominam Iusianam condempnaui.

Actum est hoc kalendas septembris anno Domini .MCCXXX. quarto

Ego Raimundus de Bateto, iudex in comitatu Bisillduni pro domino archidiacono de Rogacionibus, qui hunc iudicium dedi.

Sig(s. *man*) num Bartolomei de Comba, qui hoc scripsit.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 228-230